

potens est, cum omnia statuat & restituat : sed & Unicus est, cum à non esse, quod pluralitatem realiter & in se divisam subingreditur, prorsus abhorreat: Omniscius est & Veritas ipsa, cum scibilia pariter & scientiam statuat & restituat: Summe bonus,, à quo Bonum omne proficiscitur, Malum exulat & punitur : DEUS unus, verus, bonus, ab intelligentibus sapienter agnoscendus, unicè venerandus, severè timendus, sanctè colendus.

CAPUT IIX.

De Principio corporis collocativo,

seu

De conceptu partium omnium in corpore juxta se mutuò sigillatim existentium, ipsiusque Totius inter alia Tota collocati pariter & hinc inde lati.

§. 1.

Si corporis Essentia realis & actu præsens in naturâ non, ut hæcenus, *simul*, tanquam unum; sed secundum diversas, quibus constat, partes & essendi rationes, *sigillatim*, tanquam numerus & multitudo, sed cohærens, spectatur, prout partes juxta se mutuò certo modo statuta, locata, sunt, totumque adeò non tantum partibus suis extra partes hoc vel illo modo constitutum, compositum, & intra complexum sui collocatum; sed & ipsum totum inter alia corpora tota, certo modo comprehensum, contentum, & exterius collocatum, deprehenditur: altera Positio vel suppositio corporis actualis est, quæ quartum cognoscendi corporis Principium largitur, sic dictum, quatenus indicativè saltem non executivè; propositivè non expositivè, promissivè non exhibitivè, traditur.

§. 2. Quod igitur ultimam hanc totius corporis suppositionem principalem attinet, dici potest id in ipso corpore principium, quod hac suppositione designatur, *interna* JUXTA POSITIO *singularum partium*